

1 Tertulliani liber De Corona Militis

DE CORONA

1. [1] Proxime factum est. Liberalitas praestatissimorum imperatorum expungebatur in castris, milites laureati adibant.

Adhibetur quidam illic magis Dei miles, ceteris constantior fratribus qui se duobus dominis seruire posse praesumpserant. Solus libero capite, coronamento in manu otioso, uulgato iam et ista disciplina christiano, relucebat. [2] Denique singuli designare et ludere eminus, infrendere comminus. Continuo murmur; tribuno defertur et persona : iam ex ordine decesserat. Statim tribunus : « Cur, inquit, tam diuersus habitus ? » Negauit ille sibi cum ceteris licere. Causas expostulatus, « christianus sum » respondit. O militem gloriosum in Deo ! Suffragia exinde, et res ampliata et reus ad praefectos. [3] Ibidem grauissimas paenulas posuit, releuari auspicatus, speculatoriam morosissimam de pedibus absoluit, terrae sanctae insistere incipiens, gladium nec dominicae defensionis necessarium reddidit, laurea et de manu claruit. Et nunc, rufatus sanguinis sui spe, calciatus de euangelii paratura, succinctus acutiore uerbo dei, totus de apostolo armatus et de martyrii candida melius coronatus, donatium Christi in carcere expectat. [4] Exinde sententiae super illo, -- nescio an christianorum : non enim aliae ethnicorum --, ut de abrupto et praecipiti et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit, solus scilicet fortis inter tot fratres commilitones, solus christianus. Plane superest ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem spiritus sancti respuerunt. [5] Mussitant denique tam bonam et longam pacem periclitari sibi. Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de ciuitate in ciuitatem. Nullam enim aliam euangelii memoriam curant. Noui et pastores eorum: in pace leones et in proelio ceruos. Sed de quaestionibus confessionum alibi docebimus. [6] At nunc, quatinus et illud opponunt : « Vbi autem prohibemur coronari ? », hanc magis localem substantiam causae praesentis aggrediar, ut et qui ex sollicitudine ignorantiae quaerunt instruantur, et qui in defensionem delicti contendunt, reuincantur, ipsi uel maxime christiani laureati, quibus id solum quaestio est, quasi aut nullum aut incertum saltem habere possit delictum quod patiatu quaestionem. Nec nullum autem nec incertum hinc interim ostendam.

2. [1] Neminem dico fidelium coronam capite nosse alias, extra tempus temptationis eiusmodi. Omnes ita obseruant a catechumenis usque ad confessores et martyras uel negatores.

Videris unde auctoritas moris, de qua nunc maxime quaeritur. Porro cum quaeritur cur quid obseruetur, obseruari interim constat. Ergo nec nullum nec incertum uideri potest delictum quod committitur in obseruationem suo iam nomine uindicandam, et satis auctoratam consensus patrocini. [2] Plane, ut ratio quaerenda sit, sed salua obseruatione, nec in destructionem eius, sed in aedificationem potius, quo magis obserues, cum fueris etiam de ratione securus. Quale est autem ut tunc quis in quaestionem prouocet obseruationem, cum ab ea excidit ? et tunc requirat unde habuerit obseruationem, cum ab ea desiit ?

quando, etsi ideo uelit uideri ad quaestionem uocare [uti](#) ostendat se non deliquisse in obseruationis destitutione, nihilominus deliquisse eum constet retro in obseruationis praesumptione. [3] Si enim non deliquit hodie suscepta corona, deliquit aliquando recusata. Et ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quaestio, sed ad illos qui studio discendi non quaestionem deferunt, sed consultationem. Nam [nec semper](#) quaeritur de isto, et laudo fidem quae ante [credidit](#) obseruandum esse quam didicit. [4] Et facile est statim exigere ubi scriptum sit ne coronemur. [At enim ubi scriptum est ut coronemur ?](#) [Expostulantes](#) enim scripturae patrociniū in parte diuersa, praeiudicant suae quoque [parti](#) scripturae patrociniū adesse debere. Nam si ideo dicitur coronari licere quia non prohibeat scriptura, aequae retorquetur ideo coronari non licere quia scriptura non iubeat. Quid faciet disciplina ? Vtrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit, an utrumque reiciet, quasi neutrum praeceptum sit ? -- « Sed quod non prohibetur ultro permissum est. » -- Immo prohibetur quod non ultro est permissum.

3. [1] Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, quae praeueniendo statum fecit ? Hanc si nulla scriptura determinauit, certe consuetudo corroborauit, quae sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est ? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. [2] Ergo quaeramus an et [traditio nisi](#) scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla praeiudicent aliarum obseruationum, quas sine ullius scripturae instrumento, solius traditionis titulo [et exinde](#) consuetudinis patrociniū uindicamus. Denique, ut a baptisate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia, sub antistitis manu, contestamur nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius. [3] Dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentem quam Dominus in euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam praegustamus, exque ea die lauacro quotidiano per totam [ebdomadem](#) abstinemus. Eucharistiae sacramentum, et in tempore uictus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro nataliciis, annua die facimus. [4] Die dominico ieiunium nefas ducimus, uel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad uestitum, [ad calciatum](#), ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet, frontem [signaculo](#) terimus.

4. [1] Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules, [scripturarum nullam leges](#). Traditio tibi praetendatur auctrix [et consuetudo](#) confirmatrix et fides obseruatix. Rationem traditioni et consuetudini et fidei patrociniaturam aut ipse perspicias aut ab aliquo qui perspexerit discas. Interim non nullam esse credes cui debeat obsequium. [2] Adicio unum adhuc exemplum, [quatinus](#) et de ueteribus docere [conueniet](#). Apud Iudaeos tam sollemne est feminis eorum uelamen capitis ut inde noscantur. Quaero legem, apostolum differo. Si Rebecca

conspecto procul sponso uelamen inuasit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut, causae suae fecerit, tegantur uirgines solae, et hoc nuptum uenientes, nec antequam cognouerint sponso. [3] Si et Susanna in iudicio reuelata argumentum uelandi praestat, possum dicere : « Et hic uelamen arbitrii fuit. » Rea uenerat, erubescens de [infamia sua](#), merito abscondens decorem, uel quia timens iam placere. Ceterum in stadio mariti non putem uelatam deambulasse quae placuit. Fuerit nunc uelata semper, in ipsa quoque [legem habitus](#) requiro uel in quacumque alia. [4] Si legem nusquam reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis. His igitur exemplis renuntiatum erit posse etiam non scriptam traditionem [in obseruatione](#) defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatae tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. [5] Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt scriptura an ratione consistat, quando et legem ratio commendat. Porro si [ratione lex](#) constat, lex erit omne iam quod ratione constiterit a quocumque productum. An non putas omni fideli licere concipere et constituere, dumtaxat quod Deo congruat, quod disciplinae conducatur, quod saluti proficiat, dicente Domino : « Cur autem non et a uobis ipsis quod [iustum](#) iudicatis ? » [6] Et non de [iudicio](#) tantum, sed de omni sententia rerum examinandarum dicit et apostolus : « Si quid ignoratis, Deus uobis reuelabit », solitus et ipse consilium subministrare, cum praeceptum Domini non habebat, [et edicere](#) a [semetipso](#), spiritum Dei habens deductorem omnis ueritatis. Itaque [consilium](#) eius diuini iam praecepti instar obtinuit de rationis diuinae patrocinio. [7] Hanc nunc [expostula](#) saluo traditionis respectu, quocumque traditore censetur, nec auctorem respicias, sed auctoritatem, et in primis consuetudinis ipsius quae propterea colenda est ne non sit rationis interpres, ut, si [et hanc](#) Deus dederit, tunc discas non an obseruanda sit tibi consuetudo, sed cur.

5. [1] Maior efficitur ratio christianarum obseruationum, cum illas etiam natura defendit, quae prima omnium disciplina est. Ideoque haec prima [praescribit](#) coronam capiti non conuenire. Puto autem, [naturae Deus, Deus](#) noster, qui figurauit hominem et fructibus rerum appetendis, iudicandis, consequendis certos in eo sensus ordinauit propria membrorum quodam modo organa: auditum in auribus fodit, uisum in oculis accendit, gustum in ore conclusit, odoratum in naribus uentilauit, contactum in manibus extimauit. [2] Per haec exterioris hominis [ministeria](#) interiori homini ministrantia fructus munerum diuinorum ad animam deducuntur a sensibus. Quis igitur fructus ex floribus ? Substantia enim propria, certe praecipua, coronarum flores agri. Aut odor, inquis, aut color, aut pariter utrumque. Qui erunt sensus coloris et odoris ? Visus, opinor, et odoratus. Istos sensus quae membra sortita sunt ? Oculi, nisi fallor, et nares. Vtere itaque floribus uisu et odoratu, quorum sensuum fructus est, utere per oculos et nares, [quae eorum sensuum](#) membra sunt. Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a saeculo. [3] Quamquam nec habitus extraordinarius ordinario usui obstreperit : hoc sint tibi flores et inserti et innexi, et in filo et in scirpo, quod liberi, quod soluti : spectaculi scilicet et spiraculi res. Coronam, si forte, fascem [existima](#) florum per seriem comprehensorum,

ut plures semel portes, ut omnibus pariter utaris. Iam uero et in sinum conde, si tanta munditia est, et in lectulum sparge, si tanta mollitia est, et in poculum crede, si tanta innocentia est : tot modis fruire quot et sentis. [4] Ceterum in capite quis sapor floris, quis coronae sensus, nisi uinculi tantum, [quo](#) neque color cernitur neque odor ducitur nec teneritas commendatur ? Tam contra naturam est florem capite sectari quam cibum aure, quam sonum nare. Omne autem, quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes, penes nos uero etiam elogium sacrilegii in Deum, naturae dominum et auctorem.

6. [1] [Quaeres](#) igitur Dei legem ? [Habes](#) communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis ad quas et apostolus solet prouocare, ut cum in uelamine feminae : « Nec natura, inquit, uos docet ? », ut cum ad Romanos, natura facere dicens nationes ea quae sunt legis, et legem naturalem suggerit et naturam legalem. Sed et in [priore epistula](#) naturalem usum conditionis in non naturalem masculos et feminas inter se demutasse affirmans ex retributione erroris in uicem poenae, utique [naturalibus](#) patrocinator. [2] Ipsum Deum secundum naturam prius nouimus, [scilicet](#) deum appellantes deorum, [et bonum](#) praesumentes et iudicem inuocantes. Quaeris an conditioni eius fruendae natura nobis debeat praeire ? Ne [illa ui](#) rapiamur qua Dei aemulus uniuersam conditionem, certis usibus homini mancipatam, cum ipso homine corrumpit : unde eam et apostolus inuitam ait uanitati succidisse, uanis primum usibus, tum turpibus et iniustis et impiis subuersam. [3] Sic itaque et circa uoluptates spectaculorum infamata conditio est ab eis qui natura quidem omnia Dei sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur, scientia autem deficiunt illud quoque [intellegere](#), omnia [esse a diabolo mutata](#). Sed et huic materiae propter suauidios nostros Graeco quoque stilo satis fecimus.

7. [1] Proinde coronarii isti agnoscant interim naturae auctoritatem communis sapientiae nomine, qua homines, [sed](#) propriae religionis [pignore](#), qua Deum naturae [de proximo](#) colentes, atque ita uelut ex abundantia ceteras quoque rationes [dispiciant](#), quae nostro priuatim capiti coronamentis, et quidem omnibus interdicitur. [2] Nam et [urguemur](#) a communionem naturalis disciplinae conuerti ad proprietatem [christianam totam](#) iam defendendam per ceteras [quoque](#) species coronarum, quae aliis usibus prospectae uidentur [ut aliis](#) substantiis structae, ne, quia non ex floribus constant, quorum usum natura signauit, ut ipsa haec laurea militaris, non credantur admittere sectae interdictionem quia euaserint naturae praescriptionem. Video igitur et curiosius et plenius agendum ab originibus usque ad profectus et excessus rei. [3] Litterae ad hoc saeculares necessariae. De suis enim instrumentis saecularia probari necesse est. Quantulas attingi, credo, sufficient. Si fuit aliqua Pandora, quam primam feminarum memorat Hesiodus, hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur, unde Pandora. Nobis uero Moyses, propheticus, non poeticus pastor, principem feminam Euam facilius pudenda foliis quam tempora floribus incinctam describit. Nulla ergo Pandora. [Sed ut](#) de mendacio erubescenda est coronae origo, [iam nunc](#) et de ueritatibus suis. [4] Certe enim [ceteros](#) fuisse constat auctores rei uel illuminatores. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum,

Iouem Diodorus post deuictos Titanas hoc munere a ceteris honoratum. Dat et Priapo taenias idem, et Ariadnae sertum ex auro et Indicis gemmis, Vulcani opus, [ac post](#) Liberi munus, postea sidus. Iunoni uitem Callimachus induxit. Ita et [Argi](#) signum eius palmite redimitum, subiecto pedibus corio leonino, insultantem ostentat nouercam de exuuiis utriusque priuigni. Hercules nunc populum capite praefert, nunc oleastrum, nunc apium. [5] Habes tragoediam Cerberi, habes Pindarum atque Callimachum, qui et Apollinem memorat interfecto [Delphico](#) dracone lauream induisse, qua supplicem. Erant enim supplices [coronati](#) apud ueteres. Liberum, eundem apud Aegyptios [Osirim](#), Harpocraton industria ederatum argumentatur, quod ederae [naturae](#) sit cerebrum ab heluco defensare. Sed et alias Liberum principem coronae, plane laureae in qua ex Indis triumphauit, etiam uulgus agnoscit, cum dies in illum sollemnes Magnam appellat Coronam. [6] Si et Leonis Aegyptii [scripta euoluas](#), prima Isis repertas spicas capite circumtulit, rem magis uentris. Plura quaerentibus omnia exhibebit praestantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. [7] Nam est [illic](#) de coronis liber, et origines et causas et species et sollemnitates earum ita edisserens ut nullam gratiam floris, nullam laetitiam frondis, nullum caespitem aut palmitem non alicuius capiti inuenias consecratum: quo satis [instruamur](#) quam [alienum](#) iudicare debeamus coronati capitis institutionem ab eis prolatam et in eorum deinceps [honorem](#) dispensatam, quos saeculum deos credidit. [8] Si enim mendacium diuinitatis diabolus [operatur](#), in hac etiam specie a primordio mendax, sine dubio et eos ipse prospexerat, in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. Quale igitur habendum est apud homines Dei ueri quod [agentibus candidatis](#) diaboli introductum et ipsis a primordio dicatum est, quoque iam tunc [idolis latraiae](#) initiabantur ab idolis et in idolis adhuc uiuis? non quasi aliquid sit idolum, sed quoniam, quae idolis [ab aliis](#) fiunt ad daemones [pertinent](#). [9] Porro si quae alii idolis faciunt ad daemones pertinent, quanto magis quod ipsa sibi idola fecerunt, cum adiuuerent? Ipsi scilicet sibi [procurauerunt](#) daemones, [per eos](#) in quibus [esurierant ante quod procurauerunt](#).

8. [1] Tene interim [hunc finem](#), dum incursum quaestionis excutio. Iam enim audio dici et alia multa, ab eis prolata quos saeculum deos credidit, tamen et in nostris hodie usibus et in pristinorum sanctorum et in Dei rebus et in ipso Christo deprehendi, non alias scilicet [homine](#) functo quam per communia ista instrumenta exhibitionis humanae. Plane ita sit, nec antiquius adhuc in [origines](#) disceptabo. [2] Primus litteras Mercurius [enarrauerit](#): necessarias confitebor et commerciis rerum et nostris erga Deum studiis. Sed et si neruos idem in sonum strinxit, non negabo et hoc ingenium [eius](#) sanctis fecisse et Deo ministrasse, audiens Daud. Primus [medellas](#) Aesculapius [explorauerit](#): [meminit](#) et [Esaias](#) Ezechiae languenti aliquid medicinale mandasse, scit et Paulus stomacho uinum modicum prodesse. Sed et Minerua prima molita sit nauem: uidebo nauigantem Ionan et apostolos. [3] Plus est quod et Christus [uestitur](#); habebit etiam, paenulam Paulus. Si et uniuscuiusque suppellectilis et singulorum [uasorum](#) aliquem ex diis saeculi auctorem nominaris, [agnoscam](#) necesse est et recumbentem in lectulo Christum, et cum peluem discipulorum pedibus offert, et cum aquam ex urceo ingerit, et cum linteo circumstringitur, propria Osiridis

ueste. [4] Huiusmodi quaestioni sic ubique respondeo, admittens quidem utensilium communionem, sed prouocans eam ad rationalium et irrationalium distinctionem, quia passiuitas fallit obumbrans corruptelam conditionis qua subiecta est uanitati. [5] Dicimus enim ea demum et nostris et [superioribus](#) usibus et Dei rebus et ipsi Christo competisse, quae meras utilitates et certa subsidia et honesta solacia necessariis uitae humanae [procurant](#), ut et ipso Deo [inspirante dantur](#), priore prospectore et instructore et oblectatore, si forte, hominis sui ; quae uero hunc ordinem [excesserunt](#), ea non conuenire usibus nostris, praesertim quae propterea scilicet nec apud [sanctum uillum](#) nec in Dei rebus nec in conuersationibus Christi recognosci est.

9. [1] Quis denique patriarches, quis prophetae, quis leuitae aut sacerdos aut archon, quis uel postea apostolus aut euangelizator aut episcopus inuenitur coronatus ? Puto, nec ipsum Dei templum nec arca testamenti, nec tabernaculum martyrii, nec altare, nec candelabrum, quibus utique et in prima dedicationis sollempnitate et in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset. [2] Atquin si figurae nostrae fuerunt, -- nos enim sumus et templa Dei et altaria et [luminaria et uasa](#), -- hoc quoque figurate portendebant, homines Dei coronari non oportere. Imagini ueritas respondere debet. [Si forsitan opponis](#) ipsum Christum coronatum, ad hoc [breuiter interim](#) audies : « Sic et tu coronare; licitum est. » [3] Tamen nec illam impietatis contumeliosae coronam populus consciuit. Romanorum militum fuit commentum, ex usu rei [saecularis](#), quem populus Dei nec publicae umquam laetitiae nec ingenitae luxuriae nomine admisit, facilius cum tympanis et tibiis et psalteriis reuertens de captiuitate Babyloniae quam cum coronis, et post cibum et potum exurgens ad ludendum sine coronis. [4] Nam neque laetitiae descriptio neque luxuriae denotatio de coronae decore aut dedecore tacuisset. Adeo et Esaias : « Quoniam, inquit, cum tympanis et psalteriis et tibiis [uinum bibunt](#)», dicturus etiam « cum coronis », si umquam hic usus fuisset et in Dei rebus.

10. [1] Ita cum idcirco proponis deorum saecularium [commenta](#) etiam apud Deum deprehendi, ut inter haec coronam quoque capitis communi usui uindices, ipse tibi iam praescribis non habendum in [communione](#) usus apud nos quod non inueniatur in Dei rebus. Quid enim tam [indignum Deo quam quod dignum](#) idolo? Quid autem tam dignum idolo quam quod et mortuo? [2] Nam et mortuorum est ita coronari, [quoniam](#) et ipsi idola statim fiunt et habitu et cultu consecrationis, quae apud nos secunda idololatria est. Igitur qui careant sensu, illorum erit perinde uti ea re, [cuius careant sensu](#), atque si [abuti eo](#) uellent, si sensu non carerent. Nulla uero distantia est [abutendi](#), cum ueritas cessat utendi: cessante natura sentiendi qua uult, quis abutatur, cum non habeat qua utatur ? [3] Nobis autem abuti apud apostolum non licet, facilius non uti docentem. Nisi quod nec abutuntur qui nihil sentiunt, sed [uacant](#) totum, et est ipsum quoque opus mortuum, quantum in idolis, uiuum plane, quantum in daemoneis ad quae pertinet superstitio. « Idola nationum, inquit Dauid, argentum et aurum : oculos habent, nec uident, [nares](#), nec odorantur, manus, nec contrectabunt. » [4] Per haec enim floribus frui est. Quod si tales edicit futuros qui idola fabricantur,

tales iam sunt qui secundum idolorum ornatum quid utuntur. Omnia munda mundis; ita et immunda omnia immundis. Nihil autem immundius idolis. -- Ceterum substantiae mundaе, ut Dei res, et hac sua condicione communes usui. -- [Sed et ipsius](#) usus administratio interest. [5] Nam et ego mihi gallinaceum macto, non minus quam Aesculapio Socrates, et si me odor alicuius loci offenderit, Arabiae aliquid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim uerbo nudo [conditio](#) polluitur, -- ut apostolus docet : « Si quis autem dixerit : hoc idolothyum est, ne contigeris », -- multo magis, [cum saltitaueris habitu](#) et ritu et apparatu [idolothytorum](#), contaminatur. Ita et corona idolothyum efficitur. [6] Hoc enim ritu et habitu et apparatu idolis immolatur [auctoribus](#) suis, quorum eo uel maxime proprius est usus, ne in communionem possit admitti, quod in Dei rebus non inuenitur. Propterea apostolus clamat : « Fugite idololatram ! » Omnem utique et totam. [7] Recogita siluam et quantae latitant spinae. Nihil dandum idolo; [sic](#) nec sumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum est a fide, quid in idoli habitu uideri ? Quae communio Christo et Beliae ? Et ideo fugite. [Longum](#) enim diuortium mandat ab idololatram. In nullo proxime agendum : draco [etiam](#) terrenus de longinquo homines [spiritu](#) absorbet. [8] Altius Iohannes : « Filioli, inquit, custodite uos ab idolis ! »; non iam ab idololatram quasi officio, sed ab idolis, id est ab ipsa effigie eorum. Indignum enim ut imago Dei uiui imago idoli et mortui [fias](#). Vsque adhuc proprietatem istius habitus et ex originis censu et ex superstitionis usu idolis uindicamus, [ex eo](#) praeterea quod, dum in rebus Dei non refertur, magis [magisque](#) illorum deputatur in quorum [et anti quitatibus](#) et sollemnitatibus et officiis conuenitur. [9] Ipsae denique fores [et ipsae hostiae](#) et arae, ipsi ministri [ac](#) sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas apud Claudium. Sed et illam interstruximus distinctionem [differentium](#) rationalium et irrationalium eis occurrentem, qui communionem in omnibus de quorundam exemplorum occasione defendunt. [10] Ad hanc itaque partem causas iam ipsas coronarias inspicere superest, ut, dum ostendimus extraneas, immo et contrarias disciplinae, nullam earum rationis patrocinio fultam probemus, [quo posset](#) habitus [huiusmodi](#) quoque communioni uindicari, sicut [et quidam](#) quorum exempla nobis obiectantur.

11. [1] Etenim, ut ipsam causam coronae militaris aggrediar, puto prius conquirendum an in totum christianis militia conueniat. Quale est alioquin de accidentibus retractare, cum a praecedentibus culpa sit ? [Credimusne](#) humanum sacramentum diuino superduci licere, et in alium dominum respondere post Christum, et eierare patrem [ac matrem](#) et omnem proximum, quos [et lex](#) honorari et post Deum diligere praecipit, quos et euangelium, [solum Christum](#) pluris [faciens](#), sic quoque honorauit ? [2] Licebit in gladio conuersari, Domino pronuntiante gladio periturum qui gladio fuerit usus ? Et proelio operabitur filius pacis, cui nec litigare [conueniet](#) ? Et uincula et carcerem et tormenta et supplicia administrabit, nec suarum ultor iniuriarum ? [3] [Iam et](#) stationes aut aliis magis faciet quam Christo, aut et dominico die, quando nec Christo ? Et excubabit pro templis quibus renuntiauit ? Et cenabit illic, ubi apostolo non placet ?

Et quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit, incumbens et requiescens super pilum quo perfossum [est latus](#) Christi ? Vexillum quoque portabit aemulum Christi ? Et signum postulabit a principe, qui iam a Deo accepit ? Mortuus etiam tuba inquietabitur aeneatoris, qui excitari a tuba angeli expectat ? Et cremabitur ex disciplina castrensi christianus, cui [cremari](#) non licuit, cui Christus merita ignis indulsit ? [4] Quanta [alibi inlicita](#) circumspici possunt castrensiun munium, transgressioni interpretanda ! Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre [transgressionis est](#). Plane, si quos militia praueutos fides posterior inuenit, alia condicio est, ut illorum quos Iohannes admittebat ad lauacrum, ut centurionum fidelissimorum quem Christus probat et quem Petrus catechizat, dum tamen, suscepta fide atque signata, aut deserendum statim sit, ut [a multis](#) actum, aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur quae nec [extra militiam](#) permittuntur, aut nouissime perpetiendum pro Deo, quod aequae fides pagana condixit. [5] Nec enim delictorum impunitatem aut martyriorum immunitatem militia promittit. Nusquam [christianus](#) aliud est, unum euangelium et idem : Iesus negaturus omnem negatorem et confessurus omnem confessorem, et saluam facturum animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hunc tam miles est paganus fidelis quam paganus est miles fidelis. [6] Non admittit status fidei [necessitates](#). Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam et ad sacrificandum et directo negandum necessitate quis premitur tormentorum siue poenarum. Tamen nec illi necessitati disciplina coniuuet, quia potior est necessitas timendae negationis et obeundi martyrii quam euadendae passionis et implendi officii. [7] Ceterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, ut etiam uoluntariis delictis fibulam laxet. Nam et uoluntas poterit necessitas contendere, habens scilicet unde cogatur uel [ipsa](#). Haec praestruxerim et ad ceteras officialium coronarum causas, quibus familiarissima [est aduocatio](#) necessitatis, cum idcirco aut officia fugienda sunt ne delictis incidamus, [aut martyria](#) toleranda sunt ut officia rumpamus. De prima specie quaestionis, etiam militiae ipsius inlicitae, plura non [faciam](#), ut secunda reddatur, ne, si omni ope expulero militiam, frustra iam de corona militari prouocarim. Puta denique licere militiam usque ad causam coronae.

12. [1] Sed et de corona prius [dicamus](#). Laurea ista Apollini uel Libero [sacra](#) est, illi ut deo telorum, huic ut deo triumphorum. Sic docet Claudius, [2] cum et myrto ait milites redimiri solere: Veneris enim myrtus, matris Aeneadarum, etiam amicalae Martis, per Iliam et [Romulos Romanae](#). Sed ego Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam, [qua](#) pelicis dolor est. Cum et olea militia coronatur, ad Mineruam est idololatria, armorum aequae deam, sed et [pace](#) cum Neptuno [inuita](#) ex hac arbore coronata. In his erit serti militaris superstitio, ubique polluta et polluens omnia. Quae iam [polluantur](#) et causis. [3] Ecce annua uotorum nuncupatio : quid uidetur ? Prima in principiis, secunda in capitoliis. Accipe, post loca, et uerba : « Tunc tibi, Iuppiter, bouem cornibus auro decoratis uouemus esse futurum. » Cuius sententiae uox est ? Vtique negationis. Etiam

si tacet illic christianus ore, coronatus capite [respondit](#). Eadem laurea in donatiui [dispensationem](#) denuntiatur. Plane non gratuita [4] idololatria, aliquibus aureis uenditans Christum, ut argenteis Iudas. Hoc erit « Non potestis Deo seruire et mammonae », mammonae manum tradere et Deo [absistere](#) ? Hoc erit « Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae Dei Deo », nec hominem Deo reddere et denarium Caesari auferre ? Triumpho laurea foliis struitur [an cadaueribus](#) ? lemniscis [ornatur](#) an bustis ? unguentis delibuitur an lacrimis coniugum et matrum ? Fortasse quorundam et christianorum : et apud barbaros enim Christus. [5] Qui hanc portauerit in capite causam, nonne et ipse pugnavit ? Est et alia militia, regiarum familiarum. Nam et castrenses appellantur, munificae et ipsae sollemnium Caesarianorum. Sed [et tu](#) proinde miles ac seruus alterius, et si duorum, Dei et Caesaris, certe tunc non Caesaris, cum te Deo debes, etiam in communibus, credo, potiori.

13. [1] Coronant et publicos ordines laureis publicae causae, magistratus uero insuper aureis, ut Athenis, ut Romae. Superferuntur [etiam](#) illis Etruscae. Hoc uocabulum est coronarum quas gemmis et foliis ex auro quercinis ab Ioue insignes ad deducendas tensas cum palmatis togis sumunt. Sunt et prouinciales aureae, [imagine pro numero](#) capita maiora quaerentes. Sed tui ordines et tui magistratus et ipsum curiae nomen ecclesia est Christi. Illius es concriptus in libris uitae. [2] Illic purpurae tuae sanguis [Domini](#), et clauus latus [in cruce](#) ipsius; illic securae, ad caudicem iam arboris positae; illic uirgae ex radice Iesse. Viderint et publici equi cum coronis suis. Dominus tuus, ubi secundum scripturam Hierusalem ingredi uoluit, nec asinum habuit priuatum. « Isti in curribus et isti in equis, nos autem in nomine [Domini nostri](#) inuocabimus. » [3] Ab ipso incolatu Babylonis illius in Apocalypsi Iohannis submouemur, nedum a suggestu. Coronatur et uulgus, nunc ex principum prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium sollemnium proprietate. Est enim omnis publicae laetitiae luxuria captatrix. [4] Sed tu, peregrinus mundi huius [et cuius](#) ciuitatis supernae Hierusalem, -- « Noster, inquit, municipatus in caelis », -- habes tuos census, tuos fastos, nihil tibi cum gaudiis saeculi, immo contrarium debes. « Saeculum enim gaudebit, uos uero lugebitis. » Et, puto, felices ait lugentes, non coronatos. Coronant et nuptiae sponsores. Et ideo non [nubemus](#) ethnicis, ne nos ad [idololatriam](#) usque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt. [5] Habes legem a patriarchis quidem, habes apostolum in Domino nubere iubentem. Coronat et libertas saecularis. Sed tu iam redemptus es a Christo, et quidem magno. Seruum alienum quomodo saeculum manumittet ? Etsi libertas [uidetur](#), sed et seruitus [uidebitur](#): omnia imaginaria in saeculo et nihil ueri. Nam et tunc liber [hominis](#) eras, redemptus a Christo, et nunc seruus es Christi, licet manumissus sis ab homine. [6] Si ueram putes saeculi libertatem, ut et [corona eam](#) consignes, redisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem, amisisti libertatem Christi, [quam putasti](#) seruitutem. Numquid et agonisticae causae disputabuntur, quas statim tituli sui damnant, [sacras](#) et funebres scilicet ? Hoc enim superest, ut Olympius Iuppiter et Nemeus Hercules et misellus Archemorus et Antinous infelix in christiano coronentur, ut ipse spectaculum fiat [quod](#) spectare [non debet](#). [7] Vniuersas, ut arbitror, causas enumerauimus, nec ulla nobiscum est : omnes

alienae, profanae, inlicitae, semel iam in sacramenti [testatione](#) eieratae. Haec enim [erant](#) pompae diaboli et angelorum eius : [officia saeculi](#), honores, sollemnitates, [popularitates](#), falsa uota, humana seruitia, laudes uanae, gloriae turpes; et in omnibus istis idololatriae, in solo quoque censu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt. [8] Praefabatur quidem Claudius etiam caelum sideribus apud Homeri carmina coronatum, certe a Deo, certe homini : igitur et homo ipse a deo coronandus est. Ceterum a saeculo coronantur et lupanaria et latrinae et [pistrinae](#) et carcer et ludus et ipsa amphitheatra et ipsa spoliaria ipsaeque libitinae. Quam sacer sanctusque, quam honestus ac mundus sit habitus iste, noli de uno poetico caelo, sed de totius mundi commerciis aestimare. [9] At enim christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos deos etiam ostiis diabolus [adfinxerit](#) : Ianum a ianua, Limentinum a limine, Forculum et Carnam a foribus atque cardinibus, etiam apud Graecos Thyraeum Apollinem et Antelios [daemonas](#).

14. [1] Tanto abest ut capiti suo [munus](#) inferat idololatriae, immo iam dixerim Christo, siquidem [caput uiri](#) Christus est : tam liberum quam et Christus, ne uelamento quidem obnoxium, nedum obligamento. Porro et quod obnoxium est uelamento, caput feminae, [hoc ipso iam](#) occupatum non uacat etiam obligamento. Habet humilitatis suae sarcinam. [2] Si nudo capite uideri non debet propter angelos, multo magis coronato. [Fortasse](#) tunc [illos coronato](#) scandalizauerit. Quid enim est [in capite](#) feminae corona quam formae lena, quam [summae](#) lasciuiae nota, extrema negatio uerecundiae, conflatio inlecebrae ? Propterea nec ornabitur operosius mulier ex apostoli prospectu, ut nec crinium artificio coronetur. [3] Qui tamen et uiri caput est et feminae facies, [uir ecclesiae](#) Christus Iesus, quale, oro te, sertum pro utroque sexu subiit ? Ex spinis, opinor, et tribulis, in figuram delictorum quae nobis protulit terra carnis, abstulit autem uirtus crucis, [omnem aculeum](#) mortis in dominici capitis tolerantia obtundens, certe praeter figuram : contumelia in promptu est, [et dedecoratio et turpitudine](#) et his implexa saeuitia. [4] Quae tunc Domini tempora et foedauerunt et lancinauerunt, uti tu nunc laurea et myrto et olea et [inlustriore quaque](#) fronde et, quod magis usui est, centenariis quoque rosis [de horto Midiae lectis](#) et utrisque liliis et omnibus uiolis coroneris, etiam gemmis forsitan et auro ? ut et illam Christi coronam aemuleris, quae postea ei obuenerit ? [Atquin et fauos post](#) fella gustauit, nec ante rex gloriae a caelestibus salutatus est quam rex Iudaeorum proscriptus [in cruce](#), minoratus primo a patre [modico quid](#) citra angelos, et ita gloria et honore coronatus. Si ob haec caput ei tuum debes, tale, si forte, ei repende, quale suum pro tuo obtulit, aut nec floribus coroneris si spinis non potes, quia [floribus non potes](#).

15. [1] Serua Deo [rem suam intaminatam](#). Ille eam, si uolet, coronabit. Immo et uult, denique inuitat : « Qui uicerit, inquit, dabo ei coronam uitae. » Esto et tu fidelis ad mortem, [decerta et](#) tu bonum agonem, cuius coronam et apostolus repositam sibi merito confidit. [Accipit](#) et angelus uictoriae coronam, procedens in candido equo [ut uinceret](#); [at](#) alius iridis ambitu ornatur caelesti prasio. Sedent et presbyteri coronati, eodemque auto et ipse filius hominis [super](#) nubem micat. [2] Si tales

imagines in uisione, quales ueritates in repraesentatione ? Illas aspice, illas [adora](#). Quid caput strophiole aut dracontario damnas, diademati destinatum ? Nam [reges](#) nos Deo et patri suo fecit Christus Iesus. Quid tibi cum flore morituro ? Habes florem ex uirga Iesse, super quem tota diuini Spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum. [3] Quem et bonus [miles](#) eligendo in caelesti [ordinatione](#) profecit. Erubescite, [commilitones](#) eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithrae milite. Qui cum initiatur in spelaeo, in castris uere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi [mimum](#) martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu [a capite pellere](#) et in humerum, si forte, [transferre](#), dicens [Mithran](#) esse coronam suam. [4] Atque exinde numquam coronatur, [idque](#) in signum habet [ad](#) probationem sui, sicubi temptatus fuerit de sacramento, statimque creditur Mithrae miles, si deiecerit coronam, si eam in deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quaedam de diuinis affectantis ut nos de suorum fide confundat et iudicet.

[Text is as Fontaine, except that words split have been rejoined on the starting line. Apparatus follows]

CONSPECTVS SIGLORVM : CODICES ET EDITIONES ANTIQVIORES

- A*.... codex Parisinus Latinus 1622, saec. ix (Agobardinus).
F codex Florentinus Magliabechianus, conventi suppressi I, VI, 10, saec. xv.
N.... codex Florentinus Magliabechianus, conventi suppressi I, VI, 9, saec. xv.
X.... codex Luxemburgensis 75, saec. xv.
*R*¹ ... Beati Rhenani editio princeps, Basileae, 1521.
*R*² ... Beati Rhenani editio secunda, Basileae, 1528.
*R*³ ... Beati Rhenani editio tertia, Basileae, 1539.
B Martini Mesnartii editio (quae et Iohannis Gangnaei perperam dicta est), Parisiis, 1545.

EMENDATORES

- Cas.* Castiglioni.
Fin. Fine.
Gom. Gomperz.
Hil. Hildebrand.
Iun. Iunius.
Kro. Kroymann.
Lac. La Cerda.
Lat. Latinus.
Mar. Marra.
Oeh. Oehler.
Pri. Prinz.
Rig. Rigault.
Thö. Thörnell.
Vrs. F. Orsini.

VARIA

codd..... consensus codicum AFNX et editionum RB.
coni. in apparatu uel in margine editionis coniecit.
R consensus trium editionum Beati Rhenani.

title. de corona : incipit liber de corona feliciter *A*. incipit (i. liber *FX*) de c. militis *FNX* de c. militis RB (*et sub fine libri FN²*).

1, 1. factum *AFXR¹²*: -ta *NR³B* // liberalitas *ANR³B* : -tate *FXR¹²*.
expungebatur *A* : -bantur *FNXR³B*.
posse *NXR³B* : po... *A* non p. F // praesumpserant *N* : ...serant *A* -rat *FXRB* // uulgato *edd.* : ...gato *A* -ta *FNXR³B* // christiano *A* : -norum *FNXR³B*.
2. et ludere *A* : eludere *FNXR³B*.
tribuno *codd.* : tr. nomen *Kro.* // decesserat *A* : acce- *FNXR³B* // habitus *A* : -tu *FNXR³B* // sibi cum ceteris *A* : cum c. s. tr. *FNXR³B*.
gloriosum in deo *A* : in deo (deum *R¹²*) gl. *FNXR³B* // ampliata *A* : apud acta *FNXR³B* // ad praefectos *edd.* : ad praef.... *A* apud pr. *FNXR³B*.
de pedibus *edd.* : de ..dibus *A* ped. *FXRB deesi N*.
claruit *FXR¹²* : ...ruit *A* caruit *R³ B*, *Kro*, corrui *Rig.* deruit *Oeh. deest N* // rufatus *A* : -tu *FXR¹²* russatus *R³ B deest N* // calciatus *N* : ..lciatus *A* calcea- *FXRB*.
candida *AFXR¹²* : c. laurea *NR³ B* // coronatus *codd.* : coro.... *A* -andus *Lac.*
5. mussitant *FXRB* : musi- *AN*.
euangelii *A¹ RB* : -lio (de -lio *N*) *A³FNX*.
et in proelio *AFN* : in pr. *XR³B*.
6. quatinus *A* : quate- *FXR¹²* quia maxime *NR³ B*.
defensionem *A* : -one *FNXR¹² B* -oue *R²* // id solum *A* : in solatium *FNXR³B* id solum in solatium *Kro.* // habere *A* : -ri *FNRB deest X*.

2, 1. capite *codd.* : -ti *Vrs.* // martyras *A* : -res *FNXR³B*.
uideris *A* : -rint *FXRB* -rit quis *N* // nunc maxime *A* : cum m. *FXRB* quam m. *N* // porro... obseruari *FNXR³B* : quid obseruari *A*.
2. ut ratio *AFXR¹²* : sic tamen ut r. *NR³B*.
desiit *codd.* : desciiit *edd. nonnulli*.
uti *A* : ut *FNXR³B*.
3. nec semper *Kro.* : et semper *codd.* // credit *A* : credit *NR³B* cedit *FXR¹²*.
4. at... coronemur *FNXR³B*: at enim scriptum est *A*. // exostulantes *FNXR³B*: -lant *A*.
parti *R³ B* : -tis *FNXR¹²* *deest A*.

3, 2. traditio nisi *A* : traditionis *FXR¹²* traditio non *NR³B*.
et exinde *A* : exinde *FNXR³B*.
ebdomadem *AFN* : hebdomadam *RB ebdomodam X*.
4. ad calciatum *A²* : aut c. *A¹* et calcia- *N* et calcea- *FXRB*.
signaculo *AFXR¹²* : crucis s. *NR³B*.

4, 1. scripturarum *FNXR³B* : -ram *A* // nullam leges *A* : nulla legis *FXR¹²* nullam inuenies *NR³ B* // et consuetudo *A* : cons. *FNXR³B*.
2. quatinus *A* : quatenus *FXRB* quantus *N* // conueniet *AN* : -niat *FXRB*.
3. infamia sua *ARB* : -mio suo *FNX*.
legem habitus *ANR³B* : lege habitum *FXR¹²*.
4. in obseruatione *AFXRB* : in -nem *N* obseruatione *Kro.*
5. ratione lex *AN* : lex ratione tr. *FXRB*.
iustum *A* : i. est *FNXR³B* *et edd. plures*.
6. iudicio *codd.* : iusti iud. *Kro.*
et edicere *Mar.* : et dicere *A* et quaedam ed. *FNRB* et quod edicere *X* // semetipso *A* : sem. sed et ipse *FNXR³B*
sem. sed et ipsum *R¹²* sem. scilicet et ipse *Kro.* // consilium *A* : c. et dictum *FN² XR¹²* c. et edictum *R³B c.* et delictum *N¹*.
7. exostula *FNXR³B* : -lo *A* // et hanc *codd.* : et hunc *Kro.*

5, 1. praescribit *AX* : -bet *FNRB*.

naturae deus deus *scripsi* : ...ae deus *A* naturae deus *FNXR*B naturae dominus deus *Rig*.

2. ministrantia *NR*³ *B* : -ntis *R*¹² -nti *FX* administrantia *A*.

quae eorum s. m. *Hil.* : quorum s. m. *codd.* // sensuum *FNXR*B : -sus *A*.

existima *Kro.* : -mas *codd. deest A*.

4. quo *A* : quia *FNXR*B.

6, 1. quaeres *AR*²³ *B* : -rens *FNR*¹ querens *X* // habes *A* : habens *FNXR*B.

priore epistula *N* : pr. epistola *RB* pr. epistolae (-le *F*) *AFX* pr. epistulae parte *Kro.*

naturalibus *A* : -li usui *RB* -lium sui *FNX*.

2. scilicet *Oeh.* : sed *AFNR*¹² et *coni.* *R*² et *scripsit Rig.* secundum *X Om.* *R*³ *B* // et bonum *AN* : bonum *FXRB*.

illa ui *scripsi* : illa corruptela *coni.* *Kro.* illa *codd. et edd.*

3. intellegere *A* : intelligere *FN* intellege *XR*B // esseo mutata *A* a d. esse m. *tr.* *FNXR*B.

7, 1. sed *A* : et *FNXR*B sed et *Kro.* // pignore *Iun.* : -ra *AFXRB* pignera *N* // de proximo *Rig.* : de proxime *A* proximo *FNXR*B proximum *coni.* *R*² // dispiciant *R*³ *B* : desp- *AFNXR*².

2. arguemur *AX* : urge- *FNRB* // christianam *A* : -anae *NRB* -ane *FX* // totam *codd.* : solam *Kro.* // quoque *codd.* : quasque *Kro.* // ut alii *A.* : ut ex alii *FNXR*B.

3. sed ut *Iun.* : sed et *codd.* // iam nunc *codd.* : ita nunc *Iun.*

4. ceteros *AFX* : caeteros *NRB* certos *Vrs.* incertos *Kro.* alii alia.

ac post *A* : Veneris ac post *coni.* *Kro. om.* *FNXR*B // argi *A*² : argis *A*¹ *FNXR*B.

5. delphico *R*³ *B* et *coni.* *R*² : -inico *A* -ino *R*² -ine *FNXR*¹.

coronati *Vrs.* : -narii *FNXR*B in *A* non liquet // osirim *A* : -rin *FXRB* osyrim *N* // naturae *A* : -ra *FNXR*B.

6. scripta euoluas *RB* : -te eu. ut uidetur *F* s. uoluas *A*² scripte uoluas *A*¹ *N* scripte uoluas *X*.

7. illic *FNXR*¹² : illi *A* et *coni.* *R*² illius *R*³ *B*.

instruamur *FNXR*B : -atur *A* // alienum *RB* : aligenum *FX* alienam *N* in *A* non liquet // honorem *NXR*B : -ram *F* -re *A*,

8. operatur *AFXRB* : -tus *N* -tus est *Kro.* // agentibus candidatis *Kro.* : a gentibus c. *A*² agen....datis *A*¹ a c. *FNXR*B.

idolis latrae *A* : idololatrae *RB* idolatrie *FX* ydolatrae *N*.

ab aliis *Kro.* : alii *A*² alii *A*¹ *FNXR*B omittendum *coni.* *R.*¹² // pertinent *FNXRS* : -ere *A*.

9. procurauerunt *FXRB* : -rant *AN* // per eos *FNXR*B : *deest A* et per ea *Kro.* // esurierant *AFXRB* : exu- *N* et

haesuri (uel laesuri) erant *coni.* *R*² et usuri erant *Kro.* // ante *secl.* *Kro.* // quod *A* : quam *FNXR*B // procurauerunt *Rig.* : -rant *codd.*

8, 1. hunc finem *A.* : hc fidem *N* hanc fidem *FXRB*.

homine *A* : -nem *FNXR*B // origines *A* : -nem *FNXR*B.

2. enarrauerit *FNXR*B : -uit *A* exarauit *Gom.* exarauerit *coni.* editor *Corporis Christianorum.*

eius *Kro.* : eum *A*² cum *A*¹ *RB* tum *F* tum uel cum *NX* // medellas *AN* : medelas *FXRB* // explorauerit *FNXR*B :

-uit *A* // meminit *A* : -ni *FNXR*B // esaias *A* : -am *XR*B ysaia *F* ysaiam *N*.

3. uestitur *A* : -ietur *FNXR*B // uasorum *A* : uasulorum *FNXR*B.

agnoscam *FNXR*B : -cant *A*.

5. superioribus *A* : -orum *FNXR*B // procurant *A* : -rent *FNXR*B.

inspirante dantur *Kro.* :irante dantur *A* inspirata credantur *FNXR*B // excesserunt *A* : -rint *FNXR*B.

sanctum ullum *Thö.* : saeculum *codd. in A non liquet.*

9, 2. luminaria et uasa *FNXR*B : lumina sua *A*.

si forsitan *AF* : sed f. *NXR*B // opponis *A* : -nes *FNXR*B // breuiter interim *ANXR*B : in. br. *tr. F*.

3. saecularis *A*² *FNXR*B : -res *A*² -re *A*¹.

4. uinum bibunt *Kro.* et ut uidetur *A* : bibunt uinum *FNXR*B.

10, 1. commenta *FNXR*B : ornamenta *A*.

communione *FNXR*B : -nem *A* // indignum... dignum *Vrs.* : dignum... indignum *codd.*

2. quoniam *A* : uel quoniam *FNXR*B.

cuius careant sensu *A.* : c. carent s. *N* c. s. careant *F* c. s. carent *XR*¹² c. s. carerent *R*³ *B* // abuti eo *A* : abuti *FNXR*B.

abutendi *codd.* : utendi et ab. *Kro.*

3. uacant *Kro.* : uacat *codd.*
nares *A* : n. habent *FNXR*B.
sed et ipsius *A.* : sed ipsius *FNXR*B.
5. conditio *codd.*: dei c. *Kro.* // cum saltitaueris habitu *A* : cum habitu *FNXR*B // idolothytorum *ARB* : -thutorum
F -thitorum *X* ydolohtorum *N* idolothytarum *Kro.* ex *codd.* det.
6. auctoribus *AFXN* : auto- *RB* a culto- *Kro.*
sic *codd.* : sicut *Kro.* deest *A.*
longum *codd.* : longe longum *Kro.* // etiam *AFXRB* : enim *N* // spiritu *AB*: -tus *FNXR*.
fias *A* : fiat *FNXR*B.
ex eo *ARB* : et eo *FNX* // magisque *secl.* *Kro.* // et antiquitatibus *FNXR*B : antiq. *A.*
et ipsae hostiae *A* : ipsae ho. *FNXR*B // ac *A* : et *FNXR*B // differentium *A* : -tiae *FNXR*B.
10. quo posset *Iun.* : quod p. *codd.* // huiusmodi *A* : eiusmodi *FNXR*B.
et quidam : *post* et *lac.* signauit *Kro.*

11, 1 credimusne *FNXR*B : credimus nec *A.*
ac matrem *FNXR*B : aut m. *A* et m. *Oeh.* // et lex *FNXR*B : lex *A* // solum *Kro.* : solo *codd.* // christum *A.* : -to
*FNXR*B // faciens *Kro.* : non faciens *codd.* (et in *A* ut uidetur ex spatio litt. deletarum).
2. conueniet *codd.* : -niat *Cas.*
3. iam et *FNXR*B : iam *A.*
est latus *FNXR*B : latus est *tr.* *A.*
cremari *AN* : cremare *FXRB*.
alibi inlicita *A* : alia in delicta *FX* alia in delictis *RB* alia delicta *N* alia inde delicta *Oeh.* alia iain delicta *Kro.* //
transgressionis est *A* ; -io est *FNXR*B.
a multis *A* : multis *FNXR*B.
extra militiam *A* : ex militia *FNXR*B.
christianus *ANRB* : -nos *FX* -no *Kro.*
necessitates *A* : allegationem necessitatis *FNXR*B.
ipsa *scripsi* : ipsam *A* ipse *FNXR*B // est aduocatio *Lat.* : ista ducatio *RB* ista ducatione *FNX* deest *A.*
aut martyria *edd.* : aut mar..... *A* aut et m. *FNXR*B // faciam *Vrs.* : faciunt *codd.*

12, 1. dicamus *A*² : dicam *A*¹ *FNXR*B // sacra *AN*: sacrata *FXRB*.
romulos *R*³*B* : -lus *FNXR*¹² -lus et *A* // romanae *Kro.* : -ni *ANR*³*B* romam *FR*¹² rhomam *X* // qua *FNXR*B : quae *A.*
pace *Iun.* : paci *AFNXR*¹² pacem *R*³*B* // inita *Iun.* : initae *Kro.* initiae *A* incite *F* ineite *XR*¹² inisse *R*³*B* mente *N* //
polluantur *codd.* : -atur *Lac.*
respondit *FNXR*B : -dens *A.* -det *Mar.* // dispensationem *A* : -ne *FNRB* om. *X.*
4. absistere *codd.* : ads- *Kro.*
an cadaueribus *Rig.* : a cadeueribus *A* hanc aduerbis *FNXR*B // ornatur *Rig.* : -tus *A* in ornatura *FNXR*¹² inoratur
*R*³*B.*
5. et tu *FNXR*B : tu *Kro.* om. *A* // alterius *A* : alterius es *FNXR*B.

13, 1 etiam *R*³*B* : enim *AFNXR*¹² // imaginum pro numero *Pri* : imagi (*octo litt. delet.*) uero *A* imaginum iam
numerum *FNXR*¹² im. iam munerum *coni.* *R*² imaginum iam non uirorum *R*³*B* imaginum iam numerant *Kro.*
imaginum iam numero *fortasse legendum.*
2. domini *FNXR*B : -no *A* // in cruce *FNXR*B : inicum *A.*
domini nostri *Mar.* : d. dei n. *FNXR*B dni non *A.*
4. et cuius *A* : cuius *FNXR*B.
4. nubemus *A* : nubimus *FNXR*B nubamus *Rig.* // idololatriam *RB* : idola- *FNX* idolatriam *A.*
uidetur *FNXR*B : -ebitur *A* // uidebitur *Rig.* : -ebatur *codd.* -etur *Mar.*
hominis *A* : -ni *FNXR*B.
6. corona eam *A.* : -nam *FNXR*B // quam putasti *Mar.* : quam non putasti *A.* quam putas *RB* quam non putas
FNX.
sacras *A* : et s. *FXRB* et ut s. *N* ut s. *Mar.*
quod *codd.* : qui *Kro.* // non debet *N* : debet *A.* non debeat *FXRB.*
7. testatione *A* : tempta- *FNX* tenta- *RB* // erant *RB* : erunt *AFNX.*
officia saeculi *codd.* : sae. off. *tr.* *Rro.* // popularitates *A.* : postula- *FNXR* postulatrices *R*³*B* popularitatis *Kro.* *qui*
uerbum cum falsa uota iunxit.
pistrinae (-ne *FX*) *FXR*¹² : pristiniae *A* pistrina *NR*³*B.*
9. adfinxerit (aff- *R*³*B*) *AR*³*B* : finx- *FNXR*¹² adfix- *fortasse legendum conicio.*
daemonas *AN* : -nes *FXRB.*

14, 1. munus *A* : manus *FNXR*B // caput uiri *A* : uiri c. tr. *FNXR*B.
hoc ipso iam *A* : iam h. i. tr. *FNXR*B.
2. fortasse *codd.* : f. et *Kro.*
illos *A* : illo *FNXR*B // coronato *AFR*³*X* : -ta *N* -tos *RB* // in capite *A* : capite *FNXR*B // summae *A* : -ma *FNXR*B.
3. uir ecclesiae *A* : ut e. *FNR*B ut ecclesia *X* ut uir e. *Kro.*
omnem aculeum *A* : omnes aculeos *FNXR*B // et dedecoratio et turpitudine *AN* : et t. et d. tr. *FXR*B.
4. inlustriore quaque *edd.* : ill- quaque *FNXR*B inlustri (-ia *A*¹) aliqua *A*.
de horto midae lectis *Rig.*: de h. 1. *A* ex h. m. 1. *R*³*B* et *coni.* *R*² et hortomi delictis *F* et ortomi delectis *R*¹ et
ortomi dilectis *X* et hormi delectis *N* // atquin et fauos post *Kro.* : aliq (*undecim litt. delet. spatium*) post *A* quia et
f. p. *FNXR*B aliquos et f. p. *fortasse legendum conicio.*
in cruce *Iun.* : in crucem *FNXR*B cruci *A*. // modico quid *A* : -ce quid *FNXR*¹ -cum quid *R*²³*B*.
floribus non potes *A* : non fr. p. tr. *FNXR*B.

15, 1. rem suam intaminatam *Rig.* : re (*undecim litt. delet. spatium*) minatam *A* r. s. inattaminatam *FNXR*B r. s.
incontaminatam *fortasse legendum.*
decerta et *FNXR*B : et d. et *A*. // accipit *codd.* : accepit *fortasse legendum* // ut uinceret *codd.* : ut qui u. *Mar.* // at
A : et *FNXR*B // prasio sedent *Fin.* : prato s. *A* proto s. *FNX* protosedent *RB* porro s. *Lac.* supra tronos s. *fortasse
legendum conicio.*
super *A* : supra *FNXR*B.
2. adora *F* : odora *A*. odorare *NXR*B.
reges *Kro.* : re... *A* et reges *FNXR*B.
3. miles *FNXR*B : om. *A* // ordinatione *A* : dignatione ord. *FNXR*B ord. dign. *Rig.*
commilitones *A*. : romani (rho- *X*) comm. *FNXR*B // mimum *codd.* : mimus *Iun.*
a capite pellere *A* : cap. depellere *FNXR*B // transferre *codd.* : tr. dei *Kro. deest A.* // mithran *edd.* : mitran *A*
mithram *FR*³*B* mitram *NXR*¹².
4. idque *AN* : id quod *FXR*B // ad *FNXR*B : ac *Cas. deest A.*

Explicit. de corona explic... *A* tertulliani de c. explicit *N*¹ t. de c. militis e. *N*² q. septimi florentis t. explicit de c.
militis *F* q. septimi fl. t. libri de c. m. finis *R*¹² om. *XR*³*B*.

Text edited by Jacques Fontaine, 1966. Transcribed by Roger Pearse, 2002.